

8

THESES,

QUAS,

STIPENDIARIOS EXERCITANDI GRATIA,

CONS. EXP. FAC. MEDICÆ

P. P.

Doct. ISRAËL HWASSER,

Med. Pract. Profesfor P. & O.

RESPONDENTE

FREDRICO WILHELMO LINDEBÄCK,

Phil. Mag. Stip. Publ. Satac.

In Auditorio Medico die XXI Maji MDCCCXXV.

h. a. m. s.

THREE

STRENGTHENING EXERCISES

FOR THE

DEVELOPMENT OF THE

MUSCLES

OF THE

BACK AND

NECK



Thesis I.

Questionum, quæ, recentiori ævo, medicorum occupaverunt animos, non Practico solum, verum præcipue fortassis Theoretico respectu eminent, quæ in interiori illo atque vero grassationis morborum epidemicorum fundamento eruendo versantur. Quemadmodum scilicet olim eo inclinarunt, ut ex ipso morbo generatum contagium semper atque ubique admitterent; nostro jam ævo e contrario magna, a quibusdam saltem scriptoribus longius quam par extensa, neque a partium studio aliena, eoque ipso haud facile excusanda, omnem omnino contagii existentiam denegandi animadvertitur propensio. Esto namque, quod & facile dabimus, terminos inter *epidemias & contagiones* huc usque ita fuisse constitutos, ut hujus quidem latius, quam fas erat, sese extenderint pomœria, vix tamen, qui maximam inde in doctrinam de pandemiis emanantem noxam dilucide demonstrare tollereque allaborarunt, viri celeberrimi sibi ab altero cavere valuerunt, æque pernicioso, extremo. Hinc quamquam flocci minime faciamus medicorum nostræ ætatis in hac parte molimina, quippe quæ non solum ad justos inter epidemias & contagiones limites certius atque evidentius, quam hætenus, definiendos tendant, verum eo quoque conducant, ut, quidquid in ipsa doctrinæ antiquitus propositæ ad morbos, qui ad alteram classem necessario pertinent, applicatione falsum atque improbandum, aut omnino periculosum occurrerit, ratione ad laudatam distinctionem habitæ;

bita, itidem pateat; nulli tamen dubitamus, quin illorum inde simul prognata placita, qui principia doctrinæ de contagio fundamentalia obumbrare, imo penitus explodere, veriti non sunt, maxime improbemus.

Thef. II.

Formarum vero specialium, sub quibus hæc eadem controversia fuit agitata, vix ulla majorem mereri debet attentionem, quam quæ formam cardinalem febrium tropicarum, *typhum sc. iæteroden* s. *febrim flavam occidentalem*, spectat. Ut enim taceamus, utramque sententiam suos nactam esse patronos, neutramque partem, neque argumentorum apparente saltem pondere, neque propugnatorum numero & auctoritate, alteri inferiorem esse visam, ita ut & diu serioque pari fere Marte sit pugnatum; ipsa perinde generalis controversia, non solum ab exitu specialis hujusce discussionis pendere existimata est, verum etiam ortum suum inde deducere. Inter defensores scilicet sententiæ dudum adamatæ, febrem quæstionis efficacissimo, quod per fomites inprægnatos agendo morbum ad loca vel maxime disita trajicere posset, propagari contagio, eminuere LIND, BLANE, WRIGHT, CHISHOLM, CURRIE, THOMAS, PUGNET, PYM & FELLOWES; recentiorem vero hypothesein, qua quidem postulatur, febrem flavam ut epidemiam esse considerandam, grassationesque ejus minime a quodam contagio, sed potius ab infestio telluris, propius aut jam definito, aut posthac definiendo influxu pendere, tuiti sunt DEVÉZE, JACKSON, BANCROFT, FERGUSSON, SHEPPARD, ROBERTSON, O'HALLORAN cet. Quod vero speciatim ad celeberrimum RUSH attinet, vix ulla adest causa dubitandi, quin ipsius quoque auctoritate, si quidem auctoritati dandum quid fuerit, recentiorum hypothesis, licet a dissentientibus item, sed frustra provocari soleat, optime communiatur, quia notissimum

tissimum est, virum huncce meritis & laude æque perspicuum in castra tandem recentiorum, postquam oppositam sententiam fortiter propugnauerat, transiisse, nec, ut falso fertur, moribundum dicta sua retractasse. Quod si autem nostrum iudicium apponere liceat, vix ac ne vix quidem dubitamus, palmam recentioris hypotheseos defensoribus adjudicare, hac tamen adhibita cautione vel potius restrictione, febrim flavam, in specialioribus casibus, ubi culminationis punctum attingerit grasfatio, posse quidem materiam quandam contagiosam generare, verum hancce levem adeo esse, ut nullo alio pacto consequatur infectio, nisi quis aut ægrotantem immediate contigerit, aut saltem intra sphaeram transpirationis ejus fuerit commoratus.

Thef. III.

Interea præconcepta illa & altius mentibus impressa opinione de contagiosa febris flavæ natura factum est, ut avertendis aut reprimendis ejusdem grasfationibus haud raro adhibeantur remedia, quæ quidem, dum contagii existentia reapse denegatur, non modo crudelitatem propemodum detestabilem oleant, verum etiam fini proposito, imminuendo scilicet infestanti morbo succumbentium numero, profus adversentur. Valet autem hæc observatio imprimis de cautionibus, quas contra epidemiam in quibusdam Hispaniæ urbibus maritimis haud raro grasfentem adhibendas voluit prudentia politica. Quamvis etenim negari non poterit, ipsam formam morbi hujus horrendi per se non esse dissimilem febrim flavæ in India occidentali occurrenti; inde tamen certo minime concluditur, illius morbi origines e contagio ab India transvecto esse derivandas. Dissertationes scilicet quas in hac parte ediderunt JACKSON atque O'HALLORAN dubitare vix sinunt, vulgo receptam opinionem omni carere fundamento. E medicorum autem in Hispania ordine vix expectanda fuerit libera & a partium studio aliena rei indagatio; si enim ipsis vel parem cum Americæ & Britannicæ

tannicæ liberiori cogitandi & dicendi spiritu gaudentibus viris potestatem, ingenii sui a præconceptis quondam opinionibus independentiam vindicandi, adjudicaveris, Imperii tamen, quod religiose custodire pergit a majoribus accepta præjudicia, haud faacile remove valuerint, qui liberalem investigationem etiam in hoc respectu restringunt & impediunt, obices. Exstat saltem memorabile exemplum Medici cujusdam ARMESTO, qui, quoniam in libello edito, dubia contra contagiosam febris flavæ naturam excitare ausus fuerat, dicta sua, ne graviori afficeretur pœna, publice revocare coactus fuit, libello impio flammis interea sacrato.

Thef. IV.

Quod vero de feбри flava pathologicè valet in hoc respectu judicium, etiam ad horrendum illum, epidemicè in India Orientali grassantem, morbum *cholera*m dictum, ex nostra sententiâ videtur extendendum, hunc scilicet morbum epidemiis, non vero contagionibus esse accensendum. Quicquid tamen positivum est in loci natalis influxu, momentumque proprie pathogenicum in hoc morbo efficit, ad definiendum multo difficilius esse, quam in feбри flava ultro largimur.

Thef. V.

Quæ quamvis ita sint, Medicorum tamen supra recensita; doctrinam de contagionibus cum suo principio tollendi atque idæ epidemiarum fundamentali submittendi molimina, longius quam par erat extensa fuisse, evidentius vix dabitur documentum, quam quod audacter æque ac imprudenter, Pestis quoque grassationes e contagio minime pendere, probare anisi sunt. Quamvis enim insullam plane & vix attentione dignam a M^r LEAN allatam habemus opinionem, eidem tamen nonnulli viri acutissimi, inter quos FERGUSSON & HANCOCK præcipue

præcipue eminent, propius, quam licet; accedere videntur; Nobis vero hujusmodi rem concipiendi ratio tanto minus placet, quod, quamquam pestis translationes magis, quam variorum, a telluris constitutione pendeant, illam tamen ut re vera contagiosam, existentiaque sua & duratione dependentem a reproductione contagii, cujus prima genesis ab interiori vitæ humani generis universalis metamorphosi exierit, eamque ob causam in relationibus ad majorem quandam hujusce evolutionis epocham pertinentibus quærenda sit, agnoscamus.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Main body of faint, illegible text, appearing to be a list or series of entries.